

imperii civilis, sed universum orbem complectitur, quia Christus venit in mundum ut omnes homines salvos faceret, I *Tim.*, II, 4. Unde Ecclesiam suam ubique diffusam unam esse voluit, et hanc consociationem iisdem vinculis necti atque jugari in his quæ sive ad fidem sive ad mores pertinent. Voluit insuper eam esse perpetuam, ac duraturam esse promisit usque ad consummationem sæculi, *Matth.*, XXVIII, 20. Quæ omnia non patiuntur angustias et instabilitatem imperiorum temporalium. 2° Collegia institui non possunt sine venia principis, qui potest ea suppressere, si eorum res et fines ad genus rerum illi commissarum pertineant. Atqui Ecclesia fuit instituta, non solum absque venia principum, sed ipsis contradicentibus et eam destruere conantibus, et res quas curat ad genus rerum principi commissarum non pertinent. Ergo sub autoritate principis non constituitur. 3° Equidem non possunt coexistere in eadem republica duo summi legislatores, supposito quod utraque potestas in eodem genere versaretur et ejusdem rei procuracionem haberet. Sed utriusque potestatis civilis et ecclesiasticæ genus omnino differt, quia differunt omnino res utrique commissæ. Hæc nimirum res sacras atque divinas curat, ac spiritualibus et æternis fidelium commodis invigilat; illa, civilem societatem gubernans, terrestribus et temporalibus civium commodis studet. Utraque ergo in rebus suis est summa, utraque partes suas habens. Unde falso asseritur statum in statu constitui, si Ecclesia in suo ordine potestatem legislativam sibi vindicet. Hinc aiebat Hieronymus, Ep. 77, ad Ocean., n. 2: « Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit. » Et Gelasius papa, in can. *Duo sunt*, dist. 96: « Duo sunt quibus principaliter hic mundus regitur, autoritas sacra pontificum et regalis potestas. »]

Dico 3°: Potestas legislativa non pendet a probitate vitæ. Unde ea pollet omnis princeps, tam sæcularis quam ecclesiasticus, sive bonus sit, sive malus.

Probatur. Christus ipse, *Matth.*, XXII, 21, jussit tribu-

tum solvi Cæsari, principi ethnico. *Ibid.*, XXIII, 2 et 3, jubet obedire Scribis et Pharisæis secundum legem præcipientibus, quamvis malis et improbis. Apostolus, *ad Rom.*, XIII, 4 et 5, docet principes, etiam infideles, esse *Dei ministros*, ipsisque parendum esse, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Idem, *ad Tit.*, III, 1, et I *Petr.*, II, 13-15. Unde jure damnatæ sunt sequentes propositiones in concilio Constantiensi, prima sess., 8: « Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. » Est 13 Wicleffi. Altera, sess. XV: Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus. » Est 12 Joannis Hus.

Petes quotuplicis generis sint leges.

Resp. esse quadruplicis generis¹. Alia est æterna; alia naturalis; alia divina positiva, et hæc duplex, vetus et nova; alia humana, et hæc iterum duplex, ecclesiastica et civilis.

DISSERTATIO II

DE LEGE ÆTERNA ET NATURALI

D. Thomas, qq. 93 et 94.

ARTICULUS I

De lege æterna

[*Petes* 1° an detur in Deo lex æterna.

Resp. affirmative et probo². Lex nihil aliud est quam dictamen rationis practicæ in principe qui gubernat aliquam communitatem perfectam. Atqui tale dictamen est ab æterno in Deo, tamquam in principe gubernante totam

1. Hic q. 91. — 2. Hic q. 91, a. 1, o.

universi communitatem. Ergo. — Prob. min. Tota universi communitas regitur divina providentia, ut constat 1^a p., q. 22, a. 1 et 2. Atqui providentia circa singula supponit dictamen rationis practicæ circa universalialia, et ex illo inferitur sicut conclusio ex principiis. Insuper divina ratio nihil concepit in tempore, sed habet æternum conceptum, ut dicitur de Sapientia, *Prov.*, viii, 22 et 23 : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum.* Ergo datur in Deo ab æterno dictamen, etc.]

Petes 2^o quid sit lex æterna.

Resp 1. Lex æterna nihil aliud est quam ratio divinæ sapientiæ, secundum quod est directiva actionum et motionum creaturarum in ordine ad bonum commune totius universi.

Probatur 2. Sicut in quolibet artifice præexistit ratio eorum quæ constituuntur per artem, ita in quolibet gubernante præexistit ratio ordinis eorum quæ agenda sunt per eos qui gubernationi subjiciuntur : et sicut ratio rerum faciendarum per artem vocatur ars vel exemplar rerum artificiarum, ita ratio gubernantis actus subditorum rationem legis obtinet, servatis aliis quæ supra diximus esse de legis ratione. Atqui Deus non solum est per suam potentiam conditor universarum rerum, ad quas comparatur sicut artifex ad artificiatum, ut dictum est 1^a p., q. 14, a. 8, o. Sed est etiam gubernator omnium actuum et motionum quæ inveniuntur in creaturis, ut ibidem, q. 103, a. 5, o, habitum est. Ergo, sicut ratio divinæ sapientiæ, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris, vel ideæ ; ita ratio divinæ sapientiæ moventis et dirigentis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis.

[Differt itaque lex æterna ab idea divina, in quantum

1. Hic q. 93, a. 1, o. — 2. Ibid.

idea divina est exemplar rerum faciendarum, lex æterna autem est ordo rerum gubernandarum, vel inferens eis necessitatem, ut in rebus naturalibus, vel inducens obligationem moralem, ut in creaturis intellectualibus. Differt etiam a providentia, quæ nec habet vim obligandi, nec, sicut lex, respicit bonum commune totius universi, sed bonum particulare cujusque entis. Unde se habet providentia ad legem sicut conclusio ad principium universale, et sicut in nobis lex tradit regulas in generali, juxta quas prudentia dictat quid hic et nunc agendum sit, ita in Deo lex æterna tradit regulas in generali pro gubernatione totius mundi, juxta quas providentia, quæ est pars prudentiæ, disponit in particulari de motibus creaturarum. Ex quibus sequitur, legem æternam habere vere et proprie rationem legis, saltem respectu creaturarum intellectualium, cum sit ordinatio rationis in bonum commune ab eo qui curam habet communitatis. Respectu vero creaturarum irrationalium non videtur habere proprie et stricte rationem legis, quia hæc entia non sunt capacia instructionis et obligationis morales, quas importat lex stricte sumpta. Habet ergo respectu earum imperfecte et improprie rationem legis, quatenus eas dirigit in suis motibus per instinctum aut necessitatem naturalem.

Nota legem divinam positivam, prout est in Deo legislatore, esse ipsam legem æternam, sed inadæquate sumptam, tum quia illa non extenditur ad tot et sub tam diverso connotato, tum quia connotat creaturas existentes quibus intimatur. Prout vero consideratur in his qui seipsum secundum illam dirigunt vel illam publicant, est participatio legis æternæ et ab ea derivatur.]

Petes 3^o utrum a lege æterna deriventur omnes aliæ leges.

Resp. affirmative 1.

Probatur 1^o. *Prov.*, viii, 13, Sapientia æterna, cujus

1. Ibid., a. 3, o.

ratio est lex æterna, dicit : *Per me reges regnant et legum conditores justa decernunt. Rom., xiii, 1 : Non est potestas, nisi a Deo.*

Probatur 2^o. In omnibus moventibus subordinatis oportet quod virtus secundi moventis derivetur a virtute primi moventis, quia movens secundum non movet, nisi in quantum movetur a primo¹. Atqui gubernare est quoddam movere. Ergo in gubernantibus oportet quod ratio gubernandi a primo gubernante ad secundos derivetur. Et ita videmus quod ratio agendorum in civitate derivetur a principe ad inferiores administratores, et in artificialibus ratio artificialium actuum derivatur ab architecto ad inferiores artifices.—Subsumo. Atqui lex æterna est ratio gubernationis in primo et supremo gubernante. Ergo omnes rationes gubernationis, consequenter omnes leges quæ sunt in inferioribus gubernantibus, a lege æterna derivantur.

Confirmatur. Lex æterna est lex per essentiam, omnes autem aliæ leges sunt leges per participationem. Atqui quod est tale per participationem, derivatur ab eo quod est tale per essentiam, sicut calor in aqua derivatur ab igne. Ergo.

Tripliei autem modo potest intelligi leges alias ab æterna derivari : 1^o Tamquam ab exemplari; quia omnes leges, ut sint justæ, debent esse conformes legi æternæ. 2^o Tamquam a causa efficiente; quia omnis potestas legislativa inferior est a Deo, quatenus Deus, instituens naturam humanam ut socialem, contulit illi potestatem gubernativam et legislativam, sine qua societas seu communitas non subsisteret, juxta illud *Prov., xi, 14 : Ubi non est gubernator, populus corrumpitur.* Communitas autem cum non posset facile hanc potestatem exercere per seipsam, illam contulit paucis, vel uni, ut dixi dissert. præcedenti. Unde omnis potestas est efficienter a Deo mediate vel immediate. 3^o Quatenus lex æterna, mediante lumine

1. Ibid., o.

rationis vel fidei, dictat et approbat quæ et quando leges sint instituendæ pro diversitate circumstantiarum, personarum, locorum et temporum.

[*Nota pro solutione objectionum quoad legem naturalem, eam considerari posse dupliciter : 1^o Materialiter sumitur ratione sui fundamenti, quod est habitudo convenientiæ vel disconvenientiæ extremorum inter se, quantum est ex natura rei præcise, abstrahendo ab existentia : ut quod colere Deum sit bonum et conveniens, mentiri malum et disconveniens. Hoc sensu lex naturalis non derivatur a lege æterna; nam, etsi per impossibile Deus nihil vellet aut intelligeret, colere Deum esset secundum se bonum, mentiri vero malum; quod dicitur bonum et malum fundamentaliter. 2^o Potest sumi lex naturalis formaliter pro dictamine rationis judicantis de ista honestate et turpitudine objectorum secundum se, simulque decernentis conformiter ad legem æternam, Deum esse colendum, mendacium autem vitandum. Et hoc sensu lex naturalis derivatur a lege æterna, quia est dictamen a Deo impressum, æterno dictamini, ut exemplari, conforme.]*

ARTICULUS II

De lege naturali.

D. Thomas, q. 94.

[*Petes 1^o utrum detur in nobis lex naturalis.*

Resp. affirmative.

Prob. 1^o ex Apost., Rom., ii, 14 et 15 : Gentes quæ legem non habent, scilicet Mosaicam aut Evangelicam, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Ex S. Ambrosio, lib. IX, epist. 71 : « Ea lex non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lec-

tione, sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur; » ex S. Augustino, lib. II *Confess.*, c. 4, n. 9 : « Lex tua, Domine, lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas, » et lib. II *de Sermone Domini in monte*, c. 9, n. 32 : « Quis scripsit in cordibus hominum naturalem legem, nisi Deus ? »

Prob. 2^o ratione¹. « Lex, inquit S. Thomas, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo : uno modo, sicut in regulante et mesurante; alio modo, sicut in regulato et mesurato, quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mensuratur. Unde, cum omnia quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulentur et mesurentur, manifestum est quod omnia participant aliquantulum legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines. — Inter cætera autem rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet, in quantum et ipsa fit providentiæ particeps, sibi ipsi et aliis providens. Unde et in ipsa participatur ratio æterna, per quam habet naturalem inclinationem ad debitum actum et finem. Et talis participatio legis æternæ in rationali creatura lex naturalis dicitur. »

Confirmatur ab intimo cujusque sensu et testimonio. Nemo est enim qui in se non experiat aliquod dictamen intimans et præcipiens bonum esse faciendum, malum esse fugiendum, Deum esse colendum, parentes esse honorandos, non esse mentiendum, non furandum, etc., in his omnibus, ut ait Apostolus, *Rom.*, II, 15, *testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Hoc autem dictamen dicitur lex naturalis.]

Petes 2^o quid sit lex naturalis.

Resp. Inter varias opiniones, verius videtur legem naturalem nihil aliud esse quam lumen naturale ut impres-

1. Hic q. 91, a. 2, o.

sum et participatum a ratione seu lege æterna¹; quia sic habentur omnia quæ solent tribui legi naturali. 1^o Nobis innascitur, reperiturque in pueris et amentibus. 2^o Est non solum ostensiva, sed etiam præceptiva boni, quia est impressio et participatio legis æternæ, consequenter imperium superioris ad inferiorem. 3^o Obligat jure divino, quia est immediate a Deo.

Petes 3^o utrum lex naturalis contineat plura præcepta, vel unum tantum.

Resp. continere plura præcepta, quæ tamen fundantur in hoc uno : « Bonum est faciendum, malum est fugiendum². »

[Triplicis generis sunt præcepta naturalia, secundum quod est in homine triplex inclinationis gradus : 1^o Secundum naturam communem omnibus entibus, inest ipsi inclinatio ad conservationem sui esse, juxta quam lex naturæ præcipit esse dormiendum, comedendum, destructivis resistendum. 2^o Secundum naturam communem omnibus animalibus, inest ipsi inclinatio ad conservationem speciei, juxta quam pertinent ad legem naturæ præcepta temperantiæ circa actus tendentes ad hunc finem et educationem prolium. 3^o Secundum naturam rationis, quæ est homini propria, inest illi inclinatio ad veritatem de Deo cognoscendam, ad immortalitatem, ad communicationem cum aliis entibus intellectualibus : et huic respondent præcepta Deum colendi, parentes honorandi, et similia religionis et justitiæ.]

Distinguuntur iterum præcepta legis naturæ in ea quæ sunt per se omnibus nota, qualia sunt prima et universalis : « Bonum est faciendum, malum fugiendum ; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, etc. ; » et in ea quæ sunt magis determinata et immediate deducuntur ex primis, ut sunt præcepta Decalogi ; tandem in remotiora,

1. Ibid. — 2. Hic q. 94, a. 2, o.

quæ mediate tantum deducuntur ex primis, ut sunt plura quæ spectant contractus¹.

[Possunt insuper distingui præcepta legis naturæ per ordinem ad personas circa quas versantur; quædam enim sunt circa Deum, quædam circa proximum, quædam circa nos.]

Itaque lex naturæ potest dici multiplex et una: multiplex, quia continet plura et diversa præcepta; una, quia omnia præcepta fundantur in uno, ut dictum est, et ad unum ultimum finem ordinantur.]

Petes 4^o utrum lex naturæ obliget omnes homines, etiam pueros et amentes.

Resp. affirmative. Pueros tamen et amentes obligat imperfecte tantum et in actu primo, non perfecte et in actu secundo.

Ratio primæ partis, quia lex naturalis est omnibus, etiam pueris et amentibus, cum natura indita, ut dictum est, ita ut quæ pueri et amentes agunt contra legem naturæ sit turpe et indecens, ut si blasphement, se polluant, aut quid simile agant, nec cuiquam licet eos ad hæc inducere; quod est signum apertum eos sub lege naturali comprehendi et ea obligari saltem in actu primo.

Ratio secundæ partis est, quia pueri et amentes non sic obligantur lege naturali, ut si eam transgrediantur, peccent et incurrant reatum pœnæ, sed a peccato et pœna excusantur, quatenus ista lex non est illis promulgata; promulgatur enim per dictamen actuale seu discursum, cujus non sunt capaces: consequenter eos non obligat perfecte et in actu secundo.

Petes 5^o utrum omnis obligatio sit effectus legis naturalis.

Resp. non omnem obligationem esse effectum proximum legis naturalis, esse tamen effectum remotum.

1. Ibid.

Ratio primæ partis est, quia leges positivæ, tam divinæ quam humanæ, per se immediate obligant, neque ullus dicet obligationem jejunandi in Quadragesima, confitendi annue, communicandi in Paschate, credendi, sperandi, etc., oriri proxime et per se ex lege naturæ.

Ratio secundæ partis est: Ideo lex positiva obligat, quia lex naturalis dictat et præscribit esse obtemperandum legitime præcipienti, et ideo docent theologi neminem averti a Deo ut authore supernaturali, quin avertatur ab eo ut authore naturali; quod verificari non potest, nisi quia, transgrediendo legem supernaturalem, simul transgreditur legem naturalem.

Utrum et quomodo jus naturale distinguatur a jure gentium, habes in tract. *de Jure*, dissert. I, art. 3.

Iterum, utrum possit dari ignorantia invincibilis juris naturæ? Affirmative resolutum et late probatum require in tract. præced. dissert. V, art. 4.

Superest unica quæstio etiam celebris, licet forte plus in ea agatur de nomine quam de re, utrum scilicet lex naturalis admittat dispensationem. Unde

ARTICULUS III

Utrum lex naturalis pati possit dispensationem?

Nota. Dispensatio est duplex, proprie et improprie dicta. Dispensatio proprie dicta est relaxatio legis seu ejus obligationis in aliquo particulari, facta ab habente potestatem, manente materia legis, sic immutata, ut ejus obligatio remaneret, si non accederet autoritas dispensantis. Unde, quamvis dispensatio supponat aliquam legis interpretationem, ab ea tamen differt, quod ad interpretationem non requiratur autoritas, sed sufficit prudentia et scientia.

Dispensatio improprie dicta est quando legislator vel alter sic mutat materiam legis, ut desinat comprehendi sub lege.

Hinc dispensatio proprie spectat legislatorem seu superiorem; dispensatio autem impropria spectat dominum materiæ, sive sit legislator et superior, sive non: sic Deus, concedendo spolia Ægyptiorum Israelitis, egit ut dominus, non ut legislator; sic privatus qui remittit mihi debitum centum florenorum, agit ut dominus istius debiti, non ut superior. E contra, si Deus aut Papa eximeret aliquem a lege jejunii vel sanctificationis sabbati, ageret ut superior et legislator. Et inde sequitur aliud discrimen, quod dispensatio propria directe cadat supra legem, impropria autem directe cadat supra materiam seu debitum: ita ut qui dispensatur proprie, v. g., in jejunio, non teneatur amplius lege jejunandi, sicut tenentur alii; qui vero dispensatur improprie, v. g., in redditione debiti quod remittitur, vel in ablatione alieni quod ipsi conceditur a domino, semper tenetur, sicut omnes alii, lege naturali non furandi, aut solvendi debita; quod si hic et nunc licite aut alienum auferat, aut debitum non solvat, non est quia eximitur ab istis legibus, sed quia non remanet vel alienum, vel debitum, nec consequenter legis materia. Hæc si bene perpendantur, tollunt æquivocationes quibus multi decipiuntur in hac materia.

Dico: Neque Deus ipse absolute potest dispensare proprie in lege naturali, bene tamen improprie¹.

Est communior cum Authore contra Scotistas, qui cum suo duce tenent, Deum dispensare posse in præceptis secundæ tabulæ tantum, excepto præcepto de mendacio.

Probatur 1°. Deus non potest efficere ut ea quæ prohibentur jure naturæ, v. g., odium Dei, perjurium, homicidium, furtum, adulterium, pollutio, sodomia, bestialitas, etc., sint licita, honesta et non rationi dissona, neque quæ præcipiuntur, ut sunt officia religionis, justitiæ, etc., pro loco et tempore non sint honesta et debita, manente materia legis immutata. Ergo non potest dispensare proprie in lege naturali. Patet consequentia ex notione data dis-

1. Hic q. 100, a. 8, o et ad 3.

pensationis proprie, quæ est relaxatio obligationis legis, ejus materia manente immutata, ita ut quod prius erat prohibitum, inhonestum et illicitum, absque ejus mutatione materiæ fiat per dispensationem honestum et licitum. — Prob. ant. Hi actus enumerati et similes prohibiti lege naturali sunt intrinsece et ex natura sua, independenter a voluntate Dei, turpes, mali et rationi dissoni. Actus præcepti lege naturali sunt pariter et natura sua intrinsece, independenter a voluntate Dei, honesti et debiti pro loco et tempore. Atqui Deus non potest efficere quod id quod est ex se tale, manens invariatur, non sit tale, sicut non potest efficere quod homo, manens homo, non sit animal rationale; quod igni, manente igne, non sit conveniens calor; non enim potest mutare naturas rerum. Ergo.

Probatur 2° ex concessis ab adversariis. 1° Concedunt Deum non posse dispensare in præceptis negativis primæ tabulæ, neque in mendacio; quia, inquit Franciscus Henno, « Deus non potest facere ut malum, perseverans malum, possit licite fieri. Sed, si posset in præfatis dispensare, hoc facere posset...; quia facere posset ut quis licite Deum odio haberet, pejeraret, blasphemaret, idola coleret, quæ ita sunt ex suis intrinsecis mala, ut, velit nolit Deus, semper maneant mala, quandoquidem sint talia independenter ab ejus voluntate. » Ita laudatus theologus, disp. I *de Leg.*, q. 5, a. 1, concl. 2. — Subsumo. Atqui tota ista argumentatio nostra est pro præceptis secundæ tabulæ, et æque probat pro illis ac pro præceptis primæ tabulæ; sunt enim illa, sicut ista, ita ex suis intrinsecis mala, ut, velit nolit Deus, semper maneant mala, « quandoquidem [nota] sint talia independenter ab ejus voluntate; » sunt enim prohibita quia mala, et non mala quia prohibita. Ergo.